

Machin.
De jure testandi praeceps
principia minicata.



LVDVICI GODOFREDI MADIHN
COMMENTATIO
DE
IVRE TESTANDI PRODIGIS
FRVSTRA VINDICATO

OPTIMO FRATRI
GEORGIO SAMVELI MADIHN
IVRIS ANTECESSORI IN ACADEMIA REG. FRID.
NATALES SVOS CELEBRANTI

OBLATA D. XXIV. DEC. MDCCCLXXI.



Rf 1896

HALAE
LITTERIS HENDELIANIS.

XXVIII. 1.



VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
GEORGIO SAMVELI MADIHN

I V R. P R O F. P V B L. O R D.

S. P. D.

L V D O V I C V S G O D O F R E D V S M A D I H N

Quaerenti mihi iam dudum occasionem, qua **TIBI**,
DVLCISSIME ANIMOQVE MEO CARISSIME FRATER,
pro **TVIS** innumeris erga me beneficiis, proque ea beneuo-
lentia atque vere fraterno amore, quo me hucusque profe-
cutus es, gratum meum erga **TE** animum publice declarare
possim, nulla opportunior mihi visa est, quam si eo officio
defungar hodie, quo **TE** natum esse nos omnes laetamur.
Eam vnicē ob caussam hanc conscripsi opellam, eamque
TIBI dicaram esse volo, quam vt in sempiternam mei me-
moriā, in tesseram fraternali amoris piique cultus acci-
pias, obnixe **TE** rogo. Si illam mancam si non bene ordina-
tam dixeris, me quoque habebis consentientem. Sed si qua
festinatio, in qua aliis occupatus negotiis haec, qualiacum-
que

que demum sint, congeSSI, si illud quod sine duce sine vlo
adiutore primitias hasce meas scripserim, aliquid excusatio-
nis mereri videtur, TE quoque illud mihi indulturum, pro
TVA indulgentia erga alios, confido. Quam excusationem
eo magis abs TE sperare possum, quam non speciminis exhi-
bendi, sed solummodo sincerae meae erga TE mentis signig-
candae cauſa, in hac felicitate diei calamum arripuerim.

Alii TVA pro suis venditent! Evidem ego lubenter et
ingenue fateor, me si quid in me sit ingenii, recti iudicii, si
quid denique doctrinac, TIBI vnice debere TVISQUE insti-
tutionibus acceptum ferre. TV mihi eam indicasti viam,
quae vnice ad solidam Iuris scientiae cognitionem ducit,
quamque dum vitam viuo, numquam deseram. Quare non
possum non pro hisce omnibus gratias TIBI agere quam
maximas, et insigni laetor laetitia quod de hoc die, deque re-
stituta TVA sanitate, quam summum Numen longe adhuc
seruare velit, TIBI gratulari possim. Viue felix, viue diu
in nostrae familiae honorem, in VENERANDAE MATRIS so-
latium, in nostrorum omnium emolumentum, viue denique ut
habeam quo semper delectari possim. Sic valeas, meque TVO
amore, quo nihil antiquius nihilque carius habeo, non
exire patiaris.

Oleum



Oleum et operam me perdidisse forsitan quis existimare posset, quod de quaestione, vtrum testamentifactio prodigo deneganda sit, nec ne, egerim, quae non solum a commentatoribus sed etiam peculiaribus scriptis ab HANACCIO^{a)} EISENHARTIO^{b)} WALCHIOQUE^{c)} VV. Cell. iam satis superque exposita eset. Mihi vero nondum adeo exhausta videtur haec materia ut nihil quidquam addi amplius possit. Praeterquam enim

A 2

quod

- a) In diss. quae inscribitur: *ius testandi prodigo contra communem sententiam assertum.* Witteb. 1724.
- b) In diss. de iure testandi prodigo non competente. Helmst. 1749. quae in eius opusculis nuperim editis non invenitur. Qua ratione ibi omissa sit, nescio. Eam forte ipse editor (ipsum enim auctorem haec non edidisse colligere licet ex praefatione) propter eius raritatem non habuit. Namque non solum frustra eam quaevis in locupletissimi collectionibus Dissertationum, quae in hae vrbe extant (et in primis in insigni alioquin apparatu *Ampl. STUCKI*, Viri de nostra ciuitate meritissimi, cuius summa humilitas, hodie non vbiuis obvia, qua me exceptit, quaque rarissima saepe scripta benigne mihi subministravit, a me exigit, vt publice hic illi gratias agam) sed neque in Catalogo *Langenheimiano* eius mentio facta est, multique ideo fuerunt, qui tales vñquam ab Ill. EISENHARDTIO scriptam esse dissertationem negauerint. Ex *Weidlichio* autem facundissimo nostro cauillarum patrone, *in vita huins Viri*, et aliunde mihi constat, eam defensam esse ab *Ampl. HASSELI* qui nunc Aesessoris munere in Consistorio Guelpherbytano fungitur, quocum communem patriam me habere vehementer gaudeo.
- c) In progr. de *testamento prodigi iure Germanico inualido.* Ien. 1754.

quod commentatores non ita late rem exponere soleant, in hac re illi solummodo in eo sunt omnes, vt aut Nouellam LEONIS 39 vsl receptam aut non receptam esse dicant; ab HANACCIO vero in totum diuortium mihi faciendum erat, EISENHARTII libellus rarissimus inuenit est, WALCHIVS autem e re sua tantum putauit, vt ostenderet quibusdam quoque legibus germanicis *particularibus* prodigo testamenti factionem esse interdictam. Quae quum ita sint rem non inutilem adgressus esse mihi videor, dum polixiori quodammodo tractatione hanc quaestione explanare studui, idque eo magis, quum non solum hunc effectum prodigalitatis scil. amissionem iuris testandi, qui quidem prae caeteris mihi curae cordique fuit, sed etiam omnes alios collegerim atque exposuerim, vt uno quasi oculo perspici posset, quid in prodigo iuridicae considerationis esset.

Prodigus in duplice significatione obuenit scil. vel in sensu vulgari, vel iuridico. Piori in casu, ille dici solet prodigus, qui plus de bonis suis consumit quam conditio eius, (i. e. prouentus ex suis bonis) fert, adeo vt nisi illi subueniatur ducatur in egestatem, vti ex rescripto D. PII refert VLPIANVS in l. 12. s. vlt. ff. de tut. et cur. dat. Prodigalitas igitur haec praeponit, vt ille, cui illa tribuitur, bona adhuc habeat; ideoque qui nulla habet bona, nullusque ex illis prouentus, attamen aes alienum contrahit prodigus proprie dici nequit. Latius quam par est aliquando in hoc quoque sensu sumi solet prodigus. Scriptor enim Gallicus, cuius meminit LEYSERVS in Med. ad Pand. sp. 349. illum iam in Hollandia pro prodigo aestimari dicit d), qui tantumdem consumaret quantum quotannis acciperet; immo ipse Leyserus hunc nostris etiam moribus hoc nomine insigniri putat; ast vt mihi videtur perperam; repugnare enim hoc quam maxime videtur communis loquendi usui, et potius talis pro nostra aetatis luxurie, bonae ad-

mo-

d) verba eius sunt: vn homme qui se proposeroit d'egaler sa depense a son reuenu, perdroit son credit, et seroit regardé sur le même pié, qu'on regarde vn prodigue dans vn autre pays. *Les delices de la Hollande Part. 1. chap. 4.*

modum frugis haberi solet. Posteriori vero in casu, prodigi nomine venit is, qui a iudice praevia eius cognitione pro prodigo in sensu vulgari declaratur, cuique curator constituitur, in quem administratio bonorum eiusdem transferratur. Et hunc malum prodigum moraliter talem appellare, quam in priori significatu vti vult L E Y S E R V S , quia morale illud hodie a I C t i s dici solet, quod ad leges refertur, et unde effectus iuridici dependent. Hanc vero distinctionem inter prodigum vulgariter f. vii loquitur, ethice et iuridice talem, absurdam esse dicit H A N A C C I V S cit. diff. §. 43. quoniam etiam ante iudicis declarationem a prodigalitate effectus iuridici dependeant, v. c. quod vxor, si maritus prodigus ad inopiam vergat, stante adhuc matrimonio dotem reperere possit. Sed effectus hic non proprie prodigalitate producitur, sed potius inopia mariti instantे, quae etiam citra omnem eius culpam contingere potest. Cetera vero exempla, quae adduxit, multo minus distinctionem receptam euerunt.

Prodigus moraliter talis in legibus dicitur, *cui bonis est interdictum*, et hoc ideo, quia prodigo administratio bonorum afferatur. Quum enim omnino reipublicae intersit, ne quis, omnibus suis bonis dissipatis, magnoque ad ultimum aere alieno contrahet, creditores suos defrauderet, neue tunc etiam hoc pessimo reipublicaeque quam maxime damnoso vitam sustentandi modo priuatius, reipublicae onerosus fiat, dum illam alere debeat, saluberrimo iam ante LL. XII. Tabb. more introductum fuit, vt istiusmodi hominibus administratio bonorum adimeretur, illaque in curatores illis constituendos deuolueretur. A C O S T A ad f. 3. I. de curat. Postea haec prodigis curatores dandi necessitas repetita est LL. XII. Tabb. vbi ita *si furiosus aut prodigus existat, ait ei custos nec escit, agnitorum gentiliumque in eo pecuniamque eius potestas est*, ceu illam restituit I A C. G O T H O F R E D V S in quart. font. I. C. edit. Genev. 1653. Tab. V. et p. 97. Deinde ex sententia huius legis inuestum est vt Praetor, Praeses prouinciae, aliue magistratus illis caufsa cognita bonis interdicerent, administratio

tionemque bonorum agnatis gentilibusque concederent, formula quam nobis seruauit P A V L L V S Sent. Lib. III. Tit. 4. quando tua bona paterna auitaque, nequitia tua disperdis librosque tuos ad egestatem perducis, ob eam rem, tibi ea re, commercioque interdico. Antiquitus vero filio patris prodigi curatio non committebatur, vsque dum etiam per rescriptum D. p 11 hic prae ceteris ad illam admittendus erat. l. 1. ff. de curat. furios. et l. 12. ff. 2. ff. de tut. et curat. dat. In eo igitur prodigi cum impuberribus, minoribus atque furiosis conueniunt, vt bonorum administratio hisce omnibus sit ademta: in ceteris vero rebus non una ratione differunt a reliquis; quare etiam leges, si prodigos cum hisce comparant, de eo tantum casu intelligendae sunt. Quamuis enim recte se habent quae D. p 11 cit. l. 12. de prodigis dixerit, illos furiosum facere exitum, atque V L P I A N V S l. 1. ff. cit. prodigos acque ac furiosos ipso iure ^{e)} liberari a curatione, si vel ad sanitatem vel ad sanos mores redierint, haec tamen comparatio nec absoluta neque eo vsque est potrahenda, vt in omnibus aliis quoque rebus devno ad alterum valeat argumentum, vii optime ostendit simulque differentias late recensuit V O E T. ad tit de curat. furios. 9. Iure etiam bodierno prodigus plerumque decreto iudicis praeuia eius cognitione pro tali declarari solet, id quod et in terris Brandenburgicis obtinet, ceu de hoc more optime testatur Preußl. Landrecht Part. I. Lib. III. Tit. XIII. §. 2. nro. 2. quamvis id legis vim non habeat, vii liquet ex historia quam nobis dedit, de hoc immortalis L. B. A C O C C E I I praestantissimo operis incepto, Perill. B E H M E R V S ICtus Berolinensis, in praefatione ante Nouum suum Ius controvenerum nuperrime editum.

Haec igitur prodigalitas, quae nobis est ea qualitas prodigi in sensu iuridico sumti, administratione bonorum prodigis ademta hos

e) Ipso iure h. l. non significat, non opus esse decreto iudicis, sed potius in eodem sensu sumi debet ac testamentum per querelam inofficiosi rescindi dicitur ipso iure, postquam de eo cognouit et pronuntiavit iudex l. 8. §. 16. D. de inoff. test. vt recte aduertit N O O D T I V S ad l. 1. cit. edit. Lugdun. Bat. 1767. p. 463.

hos producit effectus, qui separatim in legibus referuntur, nempe
 vt α) exercitio dominii non gaudeant, *Cic. lib. 3. Tuſc. c. 5.*
qui, inquit, ita sit. effectus eum dominum effe (i. e. dominium
 exercere) *rerum suarum vident XII. Tabb. l. 10. ff. de curat. furios.* vbi ὁ παῦν ΝΟΟΔΤΙՎՏ ad h. t. p. m. 463. pro *in bonis*
legere vult ius in bonis sive ius bonorum, quasi per siglas olim
scriptum esset. Probabilis sane, si quid video, lectio, quamuis
 nec ego vilam a vulgata diuortentem hoc loco inuenire potui le-
 ctionem in editionibus alioquin optimis *Rob. Stephani, Halan-*
dri, Taurelli, Ruffardi, Contii, Charondae, Pacii, &c. β) nihil
 ad alterum sive curatoris consensu transferre *l. 6. ff. de cur. fur.*
neque γ) promittendo seſe obligare possint l. 6. ff. de V. O. sicuti
 vero minores ita etiam prodigi alios sibi obligare d. I. 6. et con-
 ditionem suam meliorem facere possunt etiam sine consensu curato-
 rum, δ) vt priuilegium in bonis curatoris consequantur decreto
 iudicis, *l. 15. ff. de cur. furios.* vid. et *SCHVLTINGIVM ad*
PAVL. Rec. sent. lib. III. T. IV. ε) vt hereditatem illis delatam
 adire non possint sine curatorum consensu, quod contra *Suer-*
nium optime probatum dedit egregium olim Viadrinae immo Ger-
 maniae decus *BERN. HENR. REINOLDVS in Var. ad I. C.*
pertin. cap. 1. edit. Iugleri. ζ) vt testes esse non possint in testa-
 mento §. 5. I. *de teſt. ord. Incongrue VOET. ad tit. qui teſt. fac.*
n. poſſ. purat, prodigos natura prohiberi quo minus testes in te-
 stamento esse possint: minime; naturaliter enim furiosis aequipara-
 ri non possunt, et a legibus solum vti iam dixi, quoad bonorum
 administrationem cum illis comparantur; sed potius per modum
 exceptionis a regula *f)* in §. 6. cit a Triboniano prolati, a testimoni-
 o in testamento arcentur: η) vt necessarie a tutelaq; atque curate-
 lae gestione excusentur; quum enim ne quidem suis rebus bene
 ge-

ff) Priora enī h. §. verba de testamenti factione passiva intelligenda esse ex
VLP. Reg. tit. XX. probarunt MARCILIVS ET MVRRETUS ad h. §. quorum
notas ad Inst. commentario Ian. a COSTA subiecit VAN DE WATER in
edit. Trag. ad Rhen. 1714. quae nouissime cum præfatione Ill. RVCKERI
produxit Lugd. Bat. 1744.

gerendis praesse possint, probabili ratione multo minus aliorum res bene administrabunt. Idem quoque in nostris terris obseruat tur testante id **Pr. Landrecht** P.I. L. III. T. II. §. 8 n. 5. 9) vt personam standi in judicio non habeant, quippe quae requirit vt quis liberam de bonis suis disponendi facultatem habeat. Idem sancitum legimus Cod. Frid. Part. II. T. X. §. 3. 1) Ex opinione DD. infamia notantur prodigi. Alii infamia iuris, alii facti, alii de- nique leuis notae macula eos adspergi volunt. Nos vero horum nihil statuere possumus. Nam vt per singula eamus *infamia iuris* et *mediata* et *immediata* ideo h.l. non adest quoniam nulla specialis lex exstat, quae hanc in prodigos statuerit, idque vel ex eo patet quia infames s. quos improbos esse leges iubent testamentificationem passiuam non habent v o e t ad tit. *de hered.* *inst.* 5. **VINNIVS** ad §. 6. I. d. *test* *ord.* haec vero vtique prodigis competit l. 5, §. 1. ff. *de adq* *vel omitt.* *her.* *Infamia* vero *facti* ideo cessat, quoniam 1. haec solum tunc ponenda est, quoties iudicium adest cordatorum hominum de imperfectionibus alicuius moralibus, et quidem de eo defectu perfectionum, quae ex legum naturalium sanctione in quocumque homine requiruntur. Sed num his caret prodigus? Minime gentium. Per id enim, quod sumtuum et bonorum suorum rationem non habeat, atque leui animo ad futura tempora non cogitet, neque leges naturales transgreditur, neque adeo turpe committit factum; quum non solum difficile talis casus cogitari possit, vbi tam inops factus fuerit vt inde, quo minus perfectiones suas morales essentiales promouere possit, impediretur; sed etiam hic re vera non adesse potest post interdictionem bonorum, quoniam tunc illi semper adhuc quaedam bona supersunt. 2. Quum testamentum prodigi in sensu vulgari, ante interdictionem bonorum conditum, validum sit §. 2. I. quib. n. est permitt. prodigalitas in se spectata infamiam nullam mereri potest, quia infamis nullum condere poterat testamentum. Neque obstat quod quidam adserunt, prodigos ob *infamiam facti* a testimonio tam in testamento quam in iudicio ferendo ex- clu-

cludi. Legibus non expresse hoc est constitutum, alias enim potius infamia iuris quam facti esset, sed solum ii id statuunt qui rationem huius exclusionis quaerere volunt. Ut vero tunc ad infamiam facti recurremus nulla necessitas adest, quin potius aliae rationes in promitu erunt. Quod enim actinet ad testimonium in testamento ferendum, fortasse tam ad leuem eorum animum resperherunt quam quod illis testamentis facta non competenter, saltim non ad infamiam facti quia improbi i. e. infames a prodigiis expresse distinguuntur *ſ. 6. I. de test.* Quoad testimonium vero in iudicio dicendum ab hoc non lege aliqua sed DD. opinione arcentur; cui sententiae in primis fauet Illustriss. L. B. A C O C C E I I in *Iur. controv. tit. de test. qu. 4.* nisi sub idoneis testibus, testes omni exceptione maiores intellexerit, quales aliquando prodigi esse possunt. Iure quoque Cod. Frid. non exempti sunt a tali testimonio. Superez, ut illos etiam a leuis notae macula liberare studeamus, qua eos DD. adspergi volunt, et in primis *L E Y S E R V S Med. ad Pand. sp. 349.* Siue sub hac infamiam facti intellexeris, quod quosdam facere memini, siue eam ab infamia iuris et facti diuersam dixeris quod rectius puto, ex omni parte falsa erit opinio. Si enim prius, eadem valent, quae modo de hisce infamiae speciebus differuimus, sin posterius, ea tantum duobus personis Iure Romano inhaeret, libertinis puta, et iis quae palam corpore quaestum fecerint, vii illud luculenter ostendit *Ill. H E I N E C C I V S* in *diff. de leuis notae macula §. 24.* adeoque non prodigis. Falso quoque putat *L E Y S E R V S* Senatores prodigos ob leuis notae maculam Senatu remotos esse. Verum quidem est, Senatores prodigos senatu esse expulsos, tamen ideo nec capite minutos esse adparet ex *ſ. 5. I. de cap. min.* neque infames fuisse notat *Marcilius ad h. §.* sed hoc tantum in iis contingebat qui propter turpitudinem Senatu remouebantur *l. 2. ff. de senat.,* quae autem haec turpitudo fuerit, propter quam senatu eiici debebant Senatores, colligere licet ex sequentibus *h. l.* verbis quibus *ICTUS MARCELLVS* ait: *quia Lex Julia reperendarum hoc fieri vetat.* Ceterum vide ea quae habet *ZAMOS-*

B

CIVS

CIVS in libro *de senatu Romano*. Quae quum ita sint, luculent-
ter constare mihi videtur, prodigos Iure Romano ab omni infamia
imminentes fuisse. Qnod et hodie eo magis obtinere debet, quo
tristiores apud nos producit infamia effectus.

Tandem, prodigalitas ²⁾ operatur ut prodigi testamentifa-
ctione activa non gaudeant *l. 18. ff. qui test. fac. n. poss. et s. 2. l. quib.*
n. est permis. In quaerenda autem huius legis dispositionis ratio-
ne vehementer inter se dissentiant interpretes. Alii enim ideo
illis hanc ademtam esse opinantur, quoniam ex legum sanctione
furiosorum instar haberentur, alii, quoniam tamquam in potestate
curatoris constituti comitiis calatis interesse non potuerint, alii
quia metuendum fuerit ne consanguineos praeterirent, alii quod
infames fuissent, alii denique quia illis bonis interdictum fuerit,
et hanc unicam atque solitariam esse huius sanctionis rationem ar-
bitratus quoque est **HANACCIUS**. Quae quidem posterior
ratio et nobis vero similior ceteris videtur, maxime quum con-
stet cum hac interdictione bonorum omnem commercii priuationem
coniunctam fuisse *VLP. Reg. tit. 20.* Haec vero commercii inter-
dictio necessario quoque efficere debebat, ut testamentum, quod
antiquitus plerumque per aes et libram fieri solebat, quodque
adeo tamquam actus inter viuos liberam disponendi facultatem
praeponebat, condere non posset is, qui commercio destitutus
erat, testante id *VLP. Reg. Tit. 19.* vbi ille: *qui commercium*
non habet non potest familiam vel quid aliud mancipare. Patet
hoc etiam ex eo quod semper interdictionis bonorum mentio fiat
quum testamentifactione prodigis in legibus denegatur. Et quamvis
postea testamentum per aes et libram sensim paullatimque in de-
suetudinem abiret, ita ut testamentifactione non amplius aetum inter
viuos inuoluerit, simulque ratio cessaret, quare olim prodigi a iure
testandi exclusi erant, eadem tamen sanctio vel in poenam vel ne
amicis deperditis saepissime hominibus bona sua relinquenter, re-
tentia est; id quod exinde appetet, quia eam **TRIBONIANVS** de
novo repetit in *s. 2. l. quib. n. est permis.* Quare quum extra
omnem

omnem dubitationis aleam positum sit, prodigis Iure romano ius te-
 standi ademtum esse, dispiciendum nunc nobis erit, vtrum idem et
 hodie statuendum sit? Quod quidem plerique negare ausi sunt, no-
 bis vero eorum sententia magis placet, qui affirmatiua defendunt.
 Inter priores praeter HANACCIUM sunt, quos satura lance adduxit
 Ill. WALCHIVS cit. progr. p. 3. quorum rationes ad duo potissi-
 mum momenta redeunt, scilicet et rationem legis apud nos cessare,
 et praeterea quoque Nouellam LEONIS 39. receptam esse, adeo
 vt per hanc si Ius Iustinianum non plane sublatum, certe tamen
 aliqua ex parte illi derogatum sit. Sed quod ad primam adinat
 momentum licet non negarim, rationem primitiua et occasio-
 nem, quare prodigis ius restandi ademtum fuit, iam dudum ante IV-
 STINIANVM cessasse, tamen et ob ceteras rationes, quas modo addidi
 non inepte haec dispositio seruata est, et insuper a cessante ratione
 ad cessantem legis dispositionem, fallax admodum ducitur argumen-
 tum. Ex ratione enim legis valorem eiusdem in genere non diudi-
 candum, sed ex hac solummodo aut eius extensionem aut restrictio-
 nem aestimandam esse vnumquemque docent Hermenutices praec-
 cepta. Miror sane, etiam ICTOS optimae notae ad hoc refugium de-
 uolasse, quum tamen tyronibus multa exempla in contrarium non
 incognita esse possint: sic, vt vnum tantum proferam, ratio cur mu-
 lieres testes esse non possint in testamento, longe ante IVSTINIANI
 iam tempora cessauit; attamen idem repetitum est iure recentiori
 et nemo vñquam somniauit, ideo quoniam ratio haec desierit, mu-
 lieres nunc ad hocce testimonium admittendas esse. Quare etiam
 quod olim propter interdictiōnēm bonorum commerciique con-
 stitutum fuit, cur non hoc postea in poenam erga tales homines et
 propter ea retentum esse potuit, ne amicos amicasue deperditos sae-
 piſſime hominines haeredes instituerent. Hoc tamen sibi persuade-
 re non potuit HANACCIUS, sed inepte putat, dispositionem saepius
 memoratam legis 18. post VLPIANVM, qui auctor eiusdem est, sen-
 sum paullatimque in desuetudinem abiisse, adeo vt quum haec IV-
 STINIANI temporibus extra omnem usum fuisset, ignorantiae TRI-

BONIANVM accuset, quod legem antiquam iam dudum obsoletam in Institutionibus repetierit. Miramur hercle huius viri audaciam atque arrogantiam, qui melius TRIBONIANO iura illius temporis scire vult, TRIBONIANO inquam, qui diurna nocturnaque manu libros ICtorum veterum euoluere poterat et euoluit, qui propter mirabilem eius iuris scientiam summis honoribus insignitus fuit, cuius Viri summa ingenii aciem summos eruditiois apices tam impense laudat PROCOP. I. I. c. 24, quique adeo omnium optime sciuit, quid tunc temporis etiam quoad testamentum prodigi juris esset. Eum certe IVSTINIANVS, maximus omnium legislator, ad illum omni aeuo deuenerandum laborem non elegisset, si vel iura sui temporis ignorauerit. Turpissimo hoc ausu inter illos sese retulit HANACCVS, qui dum leges obstant eorum opinioni, eas mirifice torquent, et si hoc quoque non procedit, accusant statim TRIBONIANVM ignorantiae, vnde emblemata atque naeuos reperire volunt. Vnde enim dic mihi, HANACCI, compertum habes, sanctiōnem l. 18. postea in desuetudinem abiisse, eam aeuo IVSTINIANI iam dudum obsoletam fuisse? Sed vereor ne de te idem dicere possimus, quod iam w y b o in praefatione, libello suo elegantissimo *de Triboniano ab emblematis Wissenbachii liberato*, praemissa, de hoc hominum genere dixit - *Sed si quaeras, ex quo arcano id depromserint, tum apud eos altissimum est silentium.* - Non contentus autem quod TRIBONIANVM iniuste lacepsierit, hanc dispositionem §. 2. I. quib. n. est permis. nullam obseruantiam mereri putat. Sed quare? Nonne enim IVSTINIANVS plenissimam TRIBONIANI labori legis vim dedit? Quare si etiam TRIBONIANVS antiquatam iam dudum sanctiōnem l. 18. iniuste repetierit, (quod tamen falsum omnino putamus) attamen haec apud nos valere deberet, quia nulla ratio adest, cur confirmatio IVSTINIANI generaliter facta, non etiam quoad hanc §. 2. I. cit. extendenda sit. Ita sane non interpretis partes egit, sed quod pessimum est vltro progrediendo pro ingenii suo modulo leges torsit, atque leges reformando legislatoris sibi ipsi potestatem tribuere voluit. Alia adhuc ratione ingenio suo magis quam par

par erat, indulxit HANACCVS noster. Opinatus est enim, testamentum prodigi moribundi g) si in ultimo vitae articulo componeretur, valere debere, quoniam homines moribundos ad frugem bonosque mores tandem rediisse, religio christiana suaderet. Num hoc solum religio christiana suadet, num solum hodie? Et sit ita, quid inde? Solus regressus ad bonos mores bonamque frugem non liberat ab effectibus prodigalitatis semel declaratae, nisi haec iterum declaratione iudicis tollatur. Nil enim tam naturale est, quam quod eodem modo dissoluatur quo colligatum est, l. 35. ff. de R. I. Nihil sane efficit hoc loco religio Christiana. Imperatores enim Romani aequae christiani fuerunt ac nos. Deinceps sequitur ut de altero momento dicamus, ex quo dissentientes praesidium desumere solent. Dicunt enim Nouellam L E O N I S 39. qua omnes dispositiones, in quibus, ut Imp. loquitur, mores prodigi non conspicuntur, ratas esse iubet, in praxi esse receptam. Et ut hanc receptionem probent, contenti sunt, si magnum DD. idem statuentium, in medium proferre possunt aceruum. Si nos eadem ratione contrarium probare vellemus, tantosdem optimae quoque notae ICtos pro nostra sententia aequae facile adducere possemus, nisi forte priores tantum de *praxi testari* posse dixeris, quod tamen omnium absurdissimum foret. Quis enim prioribus solum ius suffragii dedit. Relicta vero hac impura quamvis vulgari methodo, aliam rectiorem viam incedemus, atque ostendemus neque Nouellas L E O N I S in genere, nequel adeo Nouellam 39. esse receptam. Quod ut rite procedat ante omnia quaedam prae-monenda erunt de eo, quod in praxi receptum dicitur. Missis aliis a multis et in primis a Perill. nostrae Academie Directore CARRACHIO in perquam eximia diff. de *conflictu Theoriae et praeceos iuris*, iam expositis praeceos significatibus, ille solum hoc

B 3.

loco

g) Ait ille §. 60. testamentum prodigi moribundi ex ipsius Iuris ratione confitete, et ut hoc probet provocat ad l. 15. C. de *testam.* Sed equidem ego in h. l. nihil tale quidquam inuerire potui. Ibi enim CONSTANTINVS Imperator solemniter verborum solemnitatem, in heredis institutione antea obseruandam sustulit, non vero testamento prodigi validitatem tribuit.

loco nobis confiderandus venit, quo denotatur, aliud in legibus
 esse constitutum aliud vero in foro obtinere. Maxime hoc con-
 tingit si DD. iura explicantes et a legum sanctionibus diuortium
 facientes aliud statuunt quam legibus est praeceptum, iudicesque
 eorum opinionem sequuntur. Haec vero praxis, dum illi non ra-
 rō rationes legum haud rite perspiciunt aut eas cessare perperam
 opinantur, plerumque insula esse solet, nisi 1. legis dispositio
 ideo non adplicanda est, quoniam propter peculiarem mutatumue
 reipublicae nostrae statum obiectum ipsum deficit, de quo leges
 disponunt, aut 2. deficiente legis sanctione nouum inducitur *per*
modum consuetudinis, aut denique 3. in legis interpretatione vere
 dubia vna in foris eligitur acque *consuetudinis vigore* subnixa.
 Posteriorum duorum momentorum probatio facilior redditur si
 illud adhuc accedit quod in summis tribunalibus ita pronuntiatum
 sit. Quamuis enim ea nobis non est sententia, vt eorum, qui sum-
 mis tribunalibus adfident, pronunciata, vim legis generalis habere
 possemus, tamen ea hac gaudent praerogativa, vt a peritissimis in
 arte Viris profecta sint, atque de illis facilius probari possit, ea ad
 notitiam superioris venisse, et certo constet huius litis illum fuisse
 exitum: quapropter decisa summorum collegiorum quae college-
 runt PVFFENDORFIVS CANNEGIERVS e nuperrime
 BEHMERVS V. V. Perill. ceteris merito palmam extorquent.
 Exinde igitur sequi mihi videtur solis DD. opinionibus neque
 iuri recepto derogari posse, neque illis facultatem competere, no-
 uum ius recipendi. Quod tamen faciunt qui Nouellae LEONIS 39.
 vigorem apud nos tribuere volunt. Namque Nouellas LEONIS
 non vna cum Iure Iustinianeo in Germania esse receptas, et omnes
 fatentur, et ex historia harum Nouellarum luculenter adparet.
 Ex quo enim omnium rerum humanarum sapientissima Iuris Ro-
 mani pracepta sensim paullatimque ex Italia in Germaniam tra-
 ducta sunt, primi huius Iuris cultores quique illud in foris Ger-
 maniae induxerunt, iis solum codicibus manuscriptis vtebantur,
 quos secum inde duxerant, donec circa medium sex. XV. primae
 edi-

editiones, singulas partes Iuris romani complectentes typis exaratae sunt. Singulis partibus Iuris romani puta Instit. Pand. Cod. et Nou. IVSTINIANI singulatim editis, circa exitum huius sec. XV. coniunctim in vna editione prodierunt, quarum antiquissima videatur, quae prodiit Venetiis 1499. V. Vol. ^{b)} teste BRENCKMANNO in *Hist. Pand.* p. 264. Postea et singulae partes et integræ collectiones singularium partium sec. XVI. maxime in Italia Belgia Gallia atque Heluetia multoties typis exaratae sunt; in Germania vero hoc seculo duae tantum editiones prodierunt scil. 1. *Gregorii Holandri*, ⁱ⁾ et 2. *tertia Dionysii Gothofredi*, quae lucem adspexit Francof. ad Moen 1587, cuius primum mentio nem fecit Perill. GEBÄVERVS in *Narrat. de Henr. Brenckmanno* pag. 148. Videamus nunc quando Nouellæ LEONIS editionibus Corporis Iuris adiectæ sint. Hasce Nouellas primus omnium Scrimgerus ex bibliotheca Fuggeriana et quidem graece tantum 1558 publici iuris fecit. Quo loco autem non satis constat: alii vt C A S P. A C H. BECKIVS, ^{k)} putat Basileae hunc librum produisse, alii vero vt Ill. B R V N Q V E L L in *Hist. I. R.* p. m. 316. Parisiis apud Henr. Stephanum. Latinam earum versionem *Henr. Agylacus Basil.* 1561. ^{l)} edidit. Apud Branquellum inuenio

- ^{h)} Initio putaram incuria typographi ibi scriptum legi, primum volumen prodisse a. 1499. secundum 1501. tres vero posteriores 1500. sed hanc praeposteram edendi ratione tunc temporis non adeo fuisse insolitam luculentissime testatur editio quae prodiit Lugd. 1560. cf. *Brenckm. ad h. ann.* qui huic editioni etiam generaliter titulum *Corpus Iuris tribuit*, sed dubito eundem ante primam GOTHOFREDIANAM de a. 1583 cuiquam esse impositum.
- ⁱ⁾ Scilicet Pandectas prodierunt *Norimb.* 1529 deinde Institut. et *Codex* 1530 Nouellæ vero 1531. Haec Halandri Editio per quam rara est, neque ego praeter Pandectas quidquam videre potui, adeo ut vere cum Perill. GEBÄVERO dicevere pussimus: *poneis visa, si cui tam beato esse licet, ut etiam possideat.* vid. *Eius Narrat. de Henr. Brenckmanno* p. 132.
- ^{k)} Indiff. eius inang. de *Nouellis LEONIS carmine visa et autoritate Ien.* 1726 et in progr. de *Nouellis LEONIS ib.* 1729. quae duo scripta et si coniunctim ib. 1731. edita sunt, tamen adinodum rara esse testatur Ill. SEGERVS in diff. *de Leonis philosophi constitutionum nouellarum auctoritate* p. 1.
- ^{l)} CHR. GOD. HOFFMANNVS *Hist. I. R. Lib. III. c. 4.* hanc versionem iam Parif. 1560 lucem adspexisse commemorat. Vtrum recte nescio, quum pro penuria nostra rum

nio annum 1561. sed puto errore typographi hoc positum esse. Quo facto **C O N T I V S** illas quoque, quantum equidem ego scio, primus editioni sua de a. 1571. ^{m)} adiecit. Vnde ii egregie falluntur, qui putent, ex *Enimundi Bonifdii collectione*, hasce Nouellas in Editionibus nostris esse relatas. Haec enim demum a. 1573 produxit, et insuper non *Agylaei* sed potius *Henr. Stephani* versionem adhibuit *Bonifdius*. **B E C K I V S** vero in eo errauit quod putet, hasce Nouellas primum adiectas esse editionibus *Pacii* et *Gothofredi*. *Pacii* editio demum 1580 et prima *Gothofredi* 1583 prodiit, adeoque longe post *Contianam*, quae recte appellari soletⁿ⁾ secunda. Quamuis enim post latinam versionem *Henr. Agylaei* a. 1561 editam et ante secundam Contii editionem multae prodierunt editiones, tamen hae omnes hasce Nouellas non exhibent. Ita eas non inueni in edit. *Ruffardi* de a. 1561 et a. 1567, ^{o)} *Contii* prima 1562. *Hug. a. Port.* 1562. *Lugdunensi* 1569 *glossata Venet.* 1569 et repetita *Haloandrina Basil.* 1570; adeo ut recte putem ante secundam *Contianam* nullam existare editionem, quae illas exhibeat. Post hanc vero insertae sunt editionibus *Charondae*, *Pacii*, *Gothofredi* etc.

Quae quum ita sint, satis superque constat, Nouellas **LEONIS** in genere neque esse receptas neque receptas esse posse, quoniam

rum Bibliothecarum hos rariores libros inuenire non licet. Redux in patriam, ope instruissimae Guelpherbytanae Bibliothecae forsitan certiora de hisce omnibus adserere potero.

- m) Hanc editionem Contii prodidisse 1581. dicit *Brenckmannus*, quemque multi seculi fuit ut *Brunquellus* aliisque. Sed Perill. **G E B A V E R V S** non improbabili ratione in loco *Brenckm.* errorem typographi reprehendere vult.
- n) Nam ne *Pandectas* quidem edit. de a. 1562, vt vult Perill. **G E B A V E R V S** p. 144, multo minus tam hanc editionem *Hottomanno*, sed potius omnia praeter summaria *Contio* tribuenda esse, adpareat ex praefatione Codici praemissa, vbi *Conius*: Ea editio (sc. Taurellii) magnum mihi inchoatue emendationis adulit compendium, et paucis interiectis — statim tum Pandectarum emendationis superedere — et pag. 3. h. praef. — editione igitur *Florentina* contentus eam — ut cederent — auctor fui.
- o) *Brenckmannus* quidem tertia *Ruffardinæ* mentionem fecit, quam a. 1570 prodiisse ait, sed variis argumentis coniecturisque adducimur, ut, neque hoc anno, neque adeo unquam tertia vice *Ruffardinam* esse typis exarata, putemus.

niam eo demum tempore inuentae et publicis iuris factae sunt, quo Ius Romanum iam per duo et quod excurrit secula in Germania valuit, longeque iam eius receptio a MAXIMILIANO Imperatore, dum summum Iudicium Camerale fundaret, confirmata fuit. Si igitur Nouellae LEONIS in genere ex receptione non valent, qui fieri potest, ut quedam valeant? Nemo sane iuri peregrino valorem tribuere potest nisi superior. Adeoque hae Nouellae, si valere debent, voluntate superioris aut expressa aut tacita receptae esse debent. Nulla vero expressa generalis per totam Germaniam valitura superioris declaratio adest, qua hisce Nouellis obligandi vis tributa sit. De tacita nihil dicemus, quum vniuersalis consuetudinis germanicae probatio tam difficilis sit, ut ea nostras vires superare videatur. Haec enim consuetudo non probari potest per opiniones DD. quippe quibus tamquam priuatis nulla facultas competere potest, aut aliquid recipiendi, aut iuri recepto derogandi; et in hoc casu eo minus, quoniam tot pro negatiua quam pro adfirmativa adduci possunt DD.

Si igitur de valore testamenti prodigi sermo est, vel testamentum prodigi ante declaracionem iudicis confectum est, vel non. Priori in casu *valet*, *scilicet* *I. quib. n. est permis*. quia nondum fuit prodigus in sensu iuridico. Posteriori in casu, vel particularis in vna alteraue prouincia adest sanctio, siue expressa siue tacita voluntate principis subfulta, qua testamentum prodigi pro valido declaratum est, vel non. Si prius, *valet*, sin posteriorius, vel prodigus dispensationem principis impetravit vel non. Si illud, *valet*, si hoc, *non valet*. Post prodigalitatem vero sublatam si quis testamentum condit, illud validum esse, per se patet, quoniam tunc prodigus esse desit. Curatoris vero consensus testamentum prodigi non potest, efficere validum, quoniam hic tantum actus inter viuos reddere potest validos, quibus res curandi salua esse debet.

C

Con-

Concludo, sed optime scio plura adhuc proferri posse, quae
huc spectare videntur, quin et initio rem prolixius tractare animus
erat. Quum vero nobis nullum in hac festinatione superesset
tempus, ea secundis curis relinquimus.



ULB Halle

Vol. 3

ULB Halle

007 547 927

3



B.I.G.

Black

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8
	1	2	3	4	5	6	7	8

Farbkarte #13

